AD CAMILLUM CAPELLAM CO. SALICIOLARUM. & I.C. PRAESTANTIS. DE OBITU...

Francesco Morando Sirena

Digitized by Google

AD CAMILLVM
Capellam Co.

FRANCISCVS MORANDVS
SIRENA.

NI mea iamdudum muniſſem pectora, ad omnem
Fatorum caſum, acciderct quicumque, ferendum;
Cum diu Alexander langueret; nunc, eo adempto,
Tantis torquerer cruciatibus, in tot abirem
Deuictus lacrymas; ut te non uocibus ullis,
Valde alios inter perculſe Camille propinquos,
Affari, aut quoquam ſcriptorum munere, poſſem.
Nunquam ad eum memini ſtrato acceßiſſe iacentem,
Quin ægri in uultu, uultum inſpectare uiderer
Mortis, ſic omnes uis morbi exederat artus;
Ac ueteris delimarat ueſtigia formæ.
Quare irrepentem ſenſim perferre dolorem
Aſſueram; ceu qui, per fruſtula crebra cicutæ,

Ad quo ſuis leti intrepidum ſeſe inſtruit hauſtus.
Hærebit tamen, utcunque eſt dolor inditus, auræ
Vitalis mihi dum hærebit: nam iunxerat ambos
Par amor, atq; fides, uſq; a puerilibus annis.
Qui longa inter nos mox conſuetudine, & uſu
Conſimili ſtudiorum adeo proceſsit, ut ullus,
Quem conferrem illi, mihi non extaret amicus.
Nec uerò me unum dolor angit: diditur idem
Noſtra non modò in urbe, ſed externis quoq; in oris,
Quocunq; attigerat greſſus, nomenue Capellæ.
Nam quæ cyclopum ſoboles, quis tigribus altus,
Quis feritate rigens Scythica ingemuiſſe refugit?
Vidiſſes numero lugentum cuncta repleri
Compita, cum celebre efferretur funus; adeſſe
Tunc hominum nullus ſexus, nulla horruit ætas.
Hinc queſtus exaudiri; illinc laudibus auctæ
Certatim uoces; optaſſet quilibet auræ
Vel propriæ quid in exanimum trāſmittere corpus;
Tantæ ſpectata eſt nuſquam pietatis imago.
Summa hominis probitas, & morum blanda uenuſtas,
Neſcia fallaces mens cuſtodire latêbras,
Feruida in omnes officio, & pietate uoluntas,
Quem ſibi non deuinxit, ſubtractumùe reuinxit?
Id mirum: quòd cum, patriæ qui rebus agendis
Præſunt, militiæ urbanæ quodam quaſi iure,

Diuerſas

Diuerſas plerunq; ſtruant acies animorum;
Seq., ubi pugnandum, ſua quiſq; ad ſigna receptet;
Ille tamen, nulli addictus, ſed ſola ad honeſti,
Et recti juſſa inflectens, ſemper meliorum
Tutari partes, in publica commoda, ſueuit.
Omnia non tantum grauiter, ſed ſic moderatè,
Et placidè peragens, ut cunctos deniq; in unum
Compulerit conſenſum animos, laus unde ſecuta eſt
Pollice utroq; ingens, & gratia utrinque retenta.
Humani generis dat lex, odiſſe nocentes
Nobis, parq. pari, ut uox eſt uulgata, referre.
Diuerſa, hic uerè admirandus uir, ratione
Doctrinæ imbutus longe melioris, amare
Maluit oſorem, & ſibi conciliare iuuando.
Quid cum illis actum credas, nihil unde moleſti
Paſſus erat? quid cum illis quorum miſeranda
Conditio expoſcebat opem? uiduata marito
Coniux, pupillus, reus atro carcere ſordens
Teſtentur, quoties tanti ſint ore patroni,
Immo ære adiuti: quem morem ſecta forenſis
Non facilè admittit: ſunt, qui tabulas ſpeculari
Oblatas, niſi des auri apta ſpecilla, recuſent.
Et quaſi non rem, ſed tantùmmodo iura clientum
Curent, quam poſſunt, manibus prædantur aduncis,
Nil feciſſe putant; niſi picam prorſus, ut aiunt,

Nudarint; quæ mox implumis deuia quærens
Syluarum, miſere occubuit, uictoria quippe
Attulit excidium uictori ſæpius ipſi.
His malè parta modis, ſcin q̃ citò dèpereat; res?
Vix ſinit ira Deûm hæredem gaudere ſecundum.
Præterea illa animi clementia collucebat
Vberius; quòd uel minimæ nunquam æſtibus iræ
Incaluit, ſeu culpa hominum ſuccenderet, aut quid
Aduerſi fortuna, bonis male fida, tuliſſet.
Afficiebatur nihilo magis, ac ſi aliena
Res ageretur; Socraticæ hic uirtutis alumnus.
Vti etenim rebus bene nouerat ante ſecundis.
Quorundam tumidum pectus, naſumq. ſupinum
Deridens, quibus ut titulus, uel copia fluxit
Paulo maior, ſeu uoto ſunt forte potiti,
Elabuntur ita ex ſeſe, furere ut uideantur.
Multa illi dederat, multa accumulauerat uni
Natura, ornare innumeros quæ ſingula poſſent.
Plura etiam labor, aſsiduusq. adiunxerat uſus:
Iuris, quæ illi erat haud uulgaris, cognitionem
Elucere parum, quin & frigere putauit:
Accedat niſi dicendi præclara facultas,
Quæ doceat, quæ delectet, quæ deniq; flectat;
Vt conſtat priſcos iuris ualuiſſe peritos.
Quantum hac præſtiterit, fora ſat, ſat curia norunt;
Vnde,

Vnde, ut Olympiaco è ſtadio, per ſæpe rediuit
Victor ouans, acclamantum longo ordine ſeptus,
Sic aptè orabat, ſic ſuauiter, atq; uenuſtè;
Vt, quod in Hortenſi celebratũ eſt laudibus olim,
Te faceret dubium, ſpectare, audire ne malles.
Verùm huius ſpectata domi præſtantia fulſit
Et foris, aut cum maiori in diſcrimine rerum,
Ad Venetos Dominos patriæ mandata referret;
Aut cum prætorum aſſeſſoris nobile munus
Attigit, inſignem quamuis excitus ad urbem,
Quæ Veneti fauſta exultet ditione Leonis,
Nec deerant externæ urbes, quibus expeteretur,
Tam celebri, & latè diffuſo nomine ductis.
Dictu difficile eſt, utrum plures ſit adeptus,
An plures, laudis ſatur, auerſatus honores.
Non referam, quàm, dum regeret, componeret aptè
Aequo ius rigidum, nulla inſurgente querela.
Lumine quàm uigili, facili aure, manuq. fideli.
Acri quàm ingenio, cenſeret resq. hominesq.
Scæuola ut exemplar, ſic decernente ſenatu,
Perpetuum, ſeu prudenter ſanctèq. regendæ
Vnica norma Aſiæ fuit, aſſeſſori ita cuiq;
Illuſtre exemplum dicam liquiſſe Capellam.
His fortaſſe recenſendis augere dolorem,
Non ſedare tibi uidear: nam tot bona, quæ in rem

Noſtram

Noſtram nata, uſu fuerant retinenda perenni,
Eripuit cita mors, non dum graſſante ſenecta.
Accipe: non ſentire moleſta, hominis prope nõ eſt.
Sed nos ſane illo ſenſu emolleſcere oportet,
Quem ratio, & uerum præſcribit: quicquid acerbũ,
Id commune etiam, & nulli euitabile ſanxit
Natura: iccirco ueteres finxere trifaucis
Ora canis, ſiquidem triplici de gente animantum,
Quicquid nat, quicquid graditur, quicquid uolat, ore
Mors auido abſumit: cur uni parcat? ut ignis
Eſt proprius calor, ut fumi aſcenſus, ut undæ
Humor, ſic propria eſt natæ cuiuſq; rei mors.
Sera, aliquis dicet, fati uiolentia, multo
Affligit minus; at non laudamus eum, qui
Serò, uerum qui bene uixit; longa habet ætas
Triſtitiæ plus, quàm gaudi; lacrymis prius ipſis
Quàm cauſis lacrymerum, hominen dic poſſe carere.
Non ne uides, ut in hac uita uerſemur, in alto
Ceu mari, & inſanis ſemper turgente procellis?
Montibus elati undarum modò ad aſtra uidemur
Scandere, deiecti modò in imum tendere Auernum.
Turbine perpetuo peruoluimur irrequieti.
Hinc puppim impellens Notus, illinc proruit Eurus
Infenſus proræ, dextrum tundit latus alter.
Læuum alius, colluctantum nunc lintea ſcindit

Ventorum

Ventorum rabies, nunc icta carina dehiſcit.
Clauus, remiq. eripiuntur; ſubde rapacis
Piratæ in curſus; quoquò uertas, metus, horror,
Nusquam curæ abſunt: quid adhuc? heu ſumma in arena
Sæpe hæremus, ſæpe illidimur in caua ſaxa,
Seu feſsi obruimur uaſto ſub uortice fluctus.
Dic ſodes, nobis ita in æquore nantibus ecquis
Portus fortè alius ſupereſt, portus niſi mortis?
Id nos ſolari, a luctuq. abducere debet;
Quòd gens ueſtra, inter noſtrates, nobilitate
Perueteri, cui nempe uirûm non defuit unquam
Clarorum omne genus, monumenta ut publica pandunt,
Lumine nunc uno amiſſo, non lumine prorſus
Omni deſeritur; ſuperes tu; qui potes unus
Antiquum inſtaurare decus, nomenq. tueri.
Quales Scipiades, belli duo fulmina quondam,
Te modò, germanumq. tuum, duo lumina noſtræ
Vrbis ſuſpiciebamus: ſoli tibi inhæret
Lux utriuſq;; ſatis uirtus tua cognita quid non
Tandem ſperandum præbet patriæq. tuisq.?
Contemplemur item rem dignam commemoratu;
Quòd prius orata uenia, ſacrisq. receptis,
Eſt permiſſus ea decedere luce, Dei qua
Filius humano ex utero non reſpuit ortum,
Noſtram deinde ſua pariturus morte ſalutem.

O ſacra

O ſacra & alma dies, præ alijs, ô numine plena;
Nil nobis niſi diuino uehis omine lætum.
Te quicunq; oriente huius caligine uitæ
Soluitur, hunc potius feliciter eſſe renatum
Ad ſuperûm uitam, quàm mortem obijſſe, putandum eſt.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

31. Xbre 1887

Giacomo Cal[illegible]

oggi 22 [illegible] 1887

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA ROMA

[illegible]

O. Grampini

V. Minotti

oggi 26 [illegible] 1887

M. Walther